

p̄sit, ut ad verbum Evangelii prædicatum minime quadrat; sed ad
 verbum vitæ Hypostaticon & substantiale. Nam de hoc verbo
 asserit h. in loco Joh. quod *si visum, auditum & manibus contrectatum,*
 quæ omnia ad prædicatum verbum Evangelii *προφορικόν* & acci-
 dentale minime quadrant. Concludimus E. hic intelligi verbum
 vitæ Hypostaticon substantiale seu Essentiale, quod est ipse Filius
 DEI. Nota autem, in hac Phrasi esse Hebraismum, qui in S. lit.
 est usitatissimus, & verbum vitæ hoc in loco idem esse ac verbum
 vivum: Exempla habemus, ut: 1. Cor. 1. ubi ait Apostolus: *Placu-
 it DEO per Stultitiam prædicationis* i. e. per stultam prædicationem
 salvos facere credentes (stulta prædicatio vocatur, non *κατ' ἀλήθειαν*
 & secundum rei veritatem sed *κατὰ τὴν δόξαν* & secundum impiam
 Græcorum & Judæorum opinionem) Sic Ephes. 4. 21. 22. 23. & 24.
 Induere novum hominem, qui juxta DEum conditus est, per justiti-
 am & sanctitatem veritatis i. e. per veram justitiam & sanctitatem.
 Ita & h. in loco Apostolus intelligendus est, ubi ait: *Verbum vitæ
 visum & auditum esse i. e. verbum vivum.*

Qv. VI. Cur Filius DEI dicatur verbum vitæ? Resp. illum sic
 vocari ratione essentiae suæ Divinæ, quæ nil aliud est, quam ipsa vita,
 quamque cum Patre & Spiritu S. habet communem, ut ipse Christus
 de se testatur Joh. 5. 26. *Sicut Pater vitam habet in semet ipso, ita*
 &c. Et hoc modo DEus non tantum appellatur vivus in concre-
 to, sed & vita ipsa in abstracto. Nam sicut DEus non tantum vo-
 catur verus, justus & bonus in concreto, sed & veritas, justitia &
 bonitas ipsa in abstracto; Ita & hic. Nam Concreta & Abstracta in
 DEO non differunt. Est enim DEus Ens quoddam simplicissimum,
 omnis Compositionis expers. Ideò quando loquimur de DEO in
 Abstracto & Concreto, non indigitur aliqua in DEO compositio,
 sed simplicissima Essentia Divina. Alii autem Theologi solent hunc
 Textum ita explicare: Quod Christus sit verbum vitæ, adeoque
 ipsa vita & quidem natura 1. Ratione sui ipsius, quatenus respectu
 Essentiae Divinæ, nil aliud est quam ipsa vita. 2. Respectu nostri, id-
 que simpliciter (α) *ἐνεργητικῶς* seu activè, quatenus Christus nos
 in peccatis mortuos vivificat. (β) *ἰλαστικῶς* meritoriè, quatenus
 nobis vitam æternam morte suâ acquisivit & impetravit. Ad pri-
 orem significationem, sc. sui ipsius, refertur dictum Christi Joh. 5.

Ad